A.A. 7. Septembr. 1627

VOTA ET MOTIVA IN PROCESSV IOANNIS AGVIRRE, MARTINEZ DE ZALDVENDO SVPER INFANTIONIA.

22

IN Dei nomine Amen. Nouerint vniuersi, quod anno a natiuitate Domini nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, die vero quæ cōputabatur septimo mensis Septembris, apud ciuitatem Cæsaraugustæ, & in Camera Regij Consilij ciuilis præsentis Regni Aragonum, interuenerunt & fuerunt præsentes Magnifici Domini Antonius Augustinus de Mendoça ordinarius Assessor, Martinus Godino, Hieronymus Marta, & Dominicus de Escartin Regij cōsiliarij, absente Magnifico Domino Ioanne Francisco de Salaçar etiā Regio Consiliario ob eius infirmitatem. Coram quibus fuit positus processus Ioannis Aguirre Martinez de Zalduendo, & Ioannis Laurentij Aguirre Martinez de Zalduendo minoris super infantionia, in quo omnes dicti quinq; Magnifici Dñi de dicto Regio Consilio concordes fuerunt voti & opinionis, quod Dominus Regens officium generalis Gubernationis, atten. conten. &c. tenetur & debet pronuntiare, & declarare, Ioannem Aguirre Martinez de Zalduendo Exponentem, & Joānem Laurentium Aguirre Martinez de Zalduendo minorem, principalem dicti Ioannis de Zalduendo eius Patris & curatoris, & quemlibet eorum, fore & esse Infantiones, & debere gaudere omnibus & singulis priuilegijs, libertatibus, & immunitatibus cæteris Infantionibus præsentis Regni Aragonum cōcessis & indultis, neutram partem in expensis condemnando. Ex eo & aliàs declaratur Ioannem Aguirre Martinez de Zalduendo, & Ioannem Laurentium Aguirre Martinez de Zalduendo eius filium fore & esse infantiones, & debere gaudere omnibus & singulis priuilegijs Infantionibus præsentis Regni concessis, & indultis, quia constat a tempore immemoriali in Prouincia de Alaba Regnorum Castellæ, sitas esse villas de Saluatierra & de Zalduendo, in quibus inter alias Infantionum familias, adest familia vulgo numcupata

pata

pata de los Aguirres seu Aguirres de Martinez, quæ etiam ab immemoriali tempore fuit familia Infantionum, ex ea quæ descendentes tam in dictis Villis, quam etiam in alijs Vniuersitatibus, vbi contraxerunt domicilium, fuerunt Infantiones notorij gaudentes que priuilegis, & exēptionibus Militibus & Infantionibus pertinentibus. Constat etiam in dicta Villa de Zalduendo, ex dicta familia hortum habuisse Petrum Aguirre Martinez, qui aliàs fuit vocatus Sotilla, qui se contulit in dictā Villam de Saluatierra, in ea que suum contraxit domicilium, & tanquam descendens a prædicta familia fuit Infantio, & vt talis cōmuniter reputatus, qui procreauit in filium suum legitimum Ferdinandum, qui etiam fuit Infantio, & postquam plura seruitia impendit Serenissimo Imperatori Carolo quinto, fuit prouisus in officium Merini maioris terræ de Durango, quod officium non postet obtineri nisi per Infantiones notorios, qui procreauit ex suo legitimo matrimonio Ioānem Zalduendo Patrem dicti Ioannis probantis, qui suum contraxit domicilium in præsenti ciuitate Cæsaraugustæ, & procreauit in filium suum naturalem dictum Ioannem probantem, a quo ex legititimo matrimonio fuit procreatus dictus Ioannes Laurentius minor. Constat etiam dictum Ioannem probantem, & eius Patrem in præsenti ciuitate gauisos fuisse priuilegijs infantionū, & in anno millesimo quingentesimo octuogesimo octauo obtinuerunt iurisfirmam infantioniæ a Curia Iustitiæ Aragonum, in qua probarunt suum originem ducere a prædicta familia de los Aguirres, & Martinez villæ de Zalduendo, ex quibus legitime constat dictos probantes probasse, legitime possessionem immemorialem suæ ingenuitatis, ideoque Infantiones modo supra dicto declarandos, & aliàs atten. conten. &c.

Sig † num mei Iosephi Iubero Scriba mandati suæ Maiestatis ac Cæsaraugustæ domiciliati, auctoritateque Regia per totam terram & dominationem Domini nostri Regis publici notarij, qui huiusmodi vota & opiniones a registro siue libro Regij Consilij ciuilis de anno supradicto, vbi continuata existunt extraxi, & cum eo bene & fideliter comprobaui, in quorum fidem præmissorum hoc meo solito signo signaui, constat de enmendatis, vbi legitur x, o, e, & supraposito vbi legitur ex.